

Die Urkunden Ludwigs des Jüngeren, 28

In nomine sancte et individue trinitatis. Ludowicus divina favente gracia rex nec non et rector imperii Francorum. Notum esse volumus omnibus fidelibus nostris episcopis abbatibus comitibus et etiam aliis vasallis nostris, qualiter fidelis noster episcopus Gebahardus in nostram pervenit presenciam almitatem nostram postulans, quatenus sibi traderemus de hereditate nostri regni et ad ecclesiam sancte dei genitricis, que est constructa in civitate Spirensis, cui ipse presens videtur esse episcopus, mansos et in alia villa que dicitur Veninga et in alia villa que nominatur Visgelinga mansum unum cum mancipiis Risolff, Suangart, Reginbald, Adelheid et procreacionem filiorum illorum; quod et ita concessimus cum potestate nostri imperii et donatum ad supradictam ecclesiam sancte dei genitricis in perpetuum esse volumus, qualiter antepredecessorum nostrorum tradiciones regum firme stabilesque consistunt. Ita presentem tradicionem firmam stabilemque permanere decrevimus cum consensu omnium nostrorum fidelium. Si quis autem ullus antepredecessorum nostrorum, qui hanc tradicionis cartam vel alia ulla interposita fraude persona violare conaverit, in iram sancte dei genitricis incurrat et filii eius secundum carnem salvatoris nostri domini Ihesu Christi.

Signum Hludowici regis, qui hanc tradicionem fieri concessit, et signum Gebahardi episcopi, qui hanc tradicionem fieri rogavit. Signum Volcharii comitis. Signum Megingoti. Signum Nerinharti. Signum Manolti, Gozberti, Salamanni, Aboni, Wicrammi, Hennrihi, Hildegeri, Galamanni, Vndalrihi, Benedethi, Herrihi, Reginberti, Erlehaldi. Quatinus presens tradicio firmior consistat, nostra manu subter scribere curavimus.